

rum sibi impofterum cavere neceffe habet confortiô. Etsi ve-  
rò cum *Dn. à Mandelslo in c. 38. in fm.* (Cui tamen omninò fi-  
dem puto tribuendam) illum cremandi morem ab Ethnicis  
in tota observari India dicere nolim, eam tñ. penitus exspi-  
râsse sine ulla vix asferere possem absurditate. Illi Gentiles  
sibi hanc fingunt rationem, quasi animæ igne purgatæ in alia  
animalia transmigratiōe non opus habeant, sed confestim  
in Orbem lætitiis ac svavitate refertum transeant: Hæc opi-  
nio etsi à Christianis omninò ut supersticiosa impiaq; ex-  
plodatur, plus satis tamen indicii præbet, illam consuetudi-  
nem etiam in novo Orbe nondum penitus desisse.

III. Sed hætenus de moribus paganorum cremandi  
mortuorum cadavera dixisse sufficiat. Aliam in locis Chri-  
stianæ præcipuè Religionis luce illustratis recipiendorum  
formam mortuorum: videre licet introductam. Morem vi-  
delicet ab ipsis Ecclesiæ primordiis terrâ humandi Cadave-  
ra ad hodierna usque tempora laudabili semper Christiani  
servârunt constantiâ. Neque alium vel naturali rationi vel  
Christianorum magis convenientem puto pietati. Humanæ  
eqvidem imbecillitatis memores, naturam quasi inculcare  
hominem humo procreatum eidem reddendum, testantur,  
*ut sic sponte solverent debitum, quod alioqvi vel ab invitis repetit na-  
tura H. Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 19. n. 2.* Nec ipsum aliud im-  
portare videtur nomen, quam hominem ab humo origi-  
nem trahere, & ad suum reversurum esse principium. Id  
quod Sapientiores etiam Ethnicorum haud ignorasse, Euri-  
pides testatur, qui Gentilis quidem, rectissimè tamen canit:

*Jam finite terra mortuos gremio tegi  
Res unde quæque sumserat primordium,  
Eò recipitur: Spiritus cælo redit  
Corpusq; terra: jure nec enim mancupi:  
Sed brevis ad ævi tempus utendum datur  
Mox terra repetit, ipsa quod nutriverat.*

Nec vulgares, dixerim, nobis subjici hac ratione stimulos &  
faces ad subducendam eò perpensius animis nostris imbecil-  
litate ex ortu & abortu prominentem. Si quidem ex terra  
com-